

Prot. n. 46613/12 CA

Revocationis conventionis

(Sorores X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

Recurso die 11 iulii 2012 in limine reiecto, Cl.ma Rev.mae Recurrentis Patrona die 23 iulii 2012 ad Congressum recurrit atque die 14 septembris 2012 quaedam acta deposuit ac memoriale porrexit, cui die 28 novembris 2012 respondit Cl.ma Patrona sive Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae sive Consociationis publicae Y.

Voto pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae die 7 decembris 2012 exarato, cui Cl.ma Rev.mae Recurrentis Patrona die 22 eiusdem mensis respondit,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Cauto quod hoc Supremum Tribunal videt de recursibus propositis adversus actus administrativos singulares, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit (cf. art. 123, § 1 Const. Apost. *Pastor bonus*), et his in casibus cognoscit tantum de illegitimitate actus impugnati, non autem de merito causae;

Praemisso quod Cl.ma Rev.mae Recurrentis Patrona concessit conventionem *de qua* haberi nequire actum administrativum, uti in impugnato decreto; de qua re ergo nulla amplius controversia (cf. ex analogia can. 1526, § 2, n. 2);

Pro rato habito quod, attenta natura interventus ex parte Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, petitio revocationis haberi nequit ut legitime proposita ad normam can. 57 atque ad effectus eiusdem canonis quod attinet; nam argumenta adducta ex parte Rev.mae Recurrentis naturam recognitivam praefati interventus non tollunt, cum Dicasterium re vera conventionem haud subscripserit vel immutaverit, sed tantum nihil obstare declaraverit quominus conventio illa in actum deduceretur;

Cum, exinde, silentium seu inertia Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae coram petitione, ut conventionem ipsa revocaret vel suspenderet, illegitimitatis nota plecti nequeat;

Prorsus ommissa quaestione de munere a Rev.ma N. in Instituto religioso detento;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 18 ianuarii 2013 coram infrascripto Em.mo H.S.T. Praefecto habito,

d e c r e v i t:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum ab Exc.mo H.S.T. Secretario die 11 iulii 2012 latum, quo recursus reiciebatur utpote praesupposito carens.

Cautio pro expensis apud arca H.S.T. a Rev.ma Recurrente deposita retinetur. Partes Cl.mae suae quaeque Patronae congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 ianuarii 2013.

(Signati) Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

✠ Franciscus DANEELS, O.Praem., *Secretarius*

* * * * *